



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

[5 Quæ proprietates quantitati attribuantur.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

nem ac distinctionem, non esse sine ordine ad rationem. Ex quo non parum confirmatur doctrina superius tradita in Sect. 1. Atque hoc modo facile solvuntur priores rationes: nam diversus numeri in suo modo extensionis & divisibilitatis non tantum differunt secundum magis & minus, sed etiam secundum diversam rationem extensionis seu numerabilitatis, quod non ita contingit in linea bicubita, vel tricubita: hæc enim numeratio omnino illi accidit, quatenus continua est. Denique in ordine ad rationem non est inconueniens, eandem unitatem componere plures numerorum species. Atque hoc etiam modo intelligi facile potest, esse in rebus numeros plures, vel specie vel numero distinctos: etiam si a parte rei non sit maior unio inter unitates vnus numeri inter se, quam cum unitatibus alterius. Et simili ratione non dicitur proprie vna species numeri componi ex aliis formaliter loquendo, sed tantum materialiter. Quomodo dixit Arist. 5. Met. c. 14. Senarium non esse bis tria, sed semel sex.

Quomodo ultima unitas dicatur forma numeri.

Atque hinc facile expeditur alia dubitatio, quæ ad hunc locum spectat, & quomodo ultima unitas dicatur forma numeri: quæ fusc ac serio disputatur à multis authoribus, ac si esset res alicuius momenti, cum tamen solum in nominibus, & in quadam Metaphorica locutione posita sit. Qua quidem locutione usus est Diuus Thomas 8. Metaphys. circa text. 10. & ideo pro illa pugnant Thomistæ, Capreolus in 1. distinct. 24. quæst. 1. concl. 5. & laellus 8. Metaphys. qu. 10. & Soncinas 10. Metaphys. quæst. 6. quævis Soncinas mediam quandam & probabiliorem viam teneat explicandi locutionem illam. Alia vero illam impugnant, vt Aureol. apud Capreolum supra & Maior eadem dist. 24. quæst. 1. Sed breuiter dicendum est, ultimam unitatem non dici formam numeri, eo quod in rebus ipsis sit aliqua unitas prima, vel vltima, vel aliquis realis ordo inter illas unitates, quod recte notat & probat Sonc. etiam si Capreolus aliter sentire videatur in argumentorum solutionibus. Et patet breuiter, quia in rebus ipsis non potest esse ordo, nisi vel perfectionis, vel situs, aut distantie à celo, aut temporis aut causalitatis vel naturæ. Sed omnes isti ordines sunt per accidens & impertinentes ad numeri compositionem, vt facile constabit discurrenti per singulos: ergo. Debet igitur necessario id intelligi in ordine ad rationem, quæ in singulis numeris concipit ordinem unitatum, inter quas ea, quæ est vltima, censetur numerum complere, & ab aliis illum distinguere, & ideo dicitur comparari ad illū vt formam eius.

In quo est secundo considerandum, non fuisse D. Thomæ sensum, hanc esse formam proprie dictam, sed Analogia & proportionem quadam, quæ iam fere explicata est, scilicet, quia forma est, quæ complet rei essentiam, eamque ab aliis distinguit, & in certo ordine & gradu indiuisibiliter constituit: hæc autem omnia suo modo confert vltima unitas numero. Propter quod etiam Aristoteles dixit species rerum se habere sicut numeros. Vnde etiam multitudo priorum unitatum videtur comparari ad vltimam, vt quid actuabile per illam. Ac tandem per additionem vel subtractionem vltimæ unitatis mutatur species numeri: in his ergo vltimis assimilatur unitas vltima formæ, seu differentie vltimæ, quod satis est ad illam Analogicam locutionem. Quam laellus & alii amplificantes dicunt, si in ternario v.g. consideretur integra ratio formalis confurgens ex tribus unitatibus, illam esse formam totius seu totalem unitatem vero vltimam esse formam partis seu Physicam: quæ omnia sub eadem proportionalitate admitti possunt. Et tamen cum proprietate, vel etiam cum realitate,

seu reali compositione intelligere aut defendere ineptissimum mihi videtur: nam rationes Aureoli & aliorum, quas breuiter Soncinas congerit, & iam insinuatæ sunt, contrarium aperte demonstrant, vel ex eo solum, quod in rebus nullus est ordo, nullaue unio aut compositio inter has unitates potius, quam inter alias: Quare in hac amplius immorari non oportet.

Alia dubitatio hic esse posset, an numerus immedie descendat ad omnes species, vel per duas differentias immediatius diuidi possit, vt verbi gratia, in parem & imparem. Multi enim attribuunt hoc diuinctum numero, vt passionem eius: alii vero, & fortasse probabilius, existimant esse differentias diuisas. Sed cum hæc & similia pendeant plurimum ex habitudine ad rationem, facile possunt variæ differentie huiusmodi ac conuenientie excogitari: sic enim etiam diuidi solent numeri in simplices, & compositos, & aliis modis, qui à Mathematicis traduntur.

XIV.

Diuisio numeri in parem & imparem qualem.

SECTIO V.

Quæ proprietates quantitati attribuantur.



E præsentī quæstione nihil fere tradit Arist. in hoc loco 5. Met. tamen in prædicamentis c. de quantitatibus tres illi proprietates attribuit, ex quibus duæ primæ magis sunt negationes quædam, quam positivæ proprietates.

Quantitatem non habere contrarium.

PRIMA est, quod quantitas non habet contrarium. Cuius ratio assignari hæc potest: quia contrarietas supponit specificam differentiam: est enim oppositio eorum, quæ sub eodem genere maxime distant, at vero inter quantitates, quæ specie differunt, non est contrarietas: quia non se expellunt ab eodem subiecto, sed potius ex natura rei necessario debent esse coniunctæ: imo secundum rem habent talem subordinationem, vt vna sit alterius principium: quæ omnia pugnant cum vera contrarietate. Vnde nullius momenti est, si quis obiciat, diuisibile & indiuisibile secundum eandem rationem esse contraria: superficiem autem & lineam opponi vt diuisibile & indiuisibile secundum latitudinem. Respondetur enim, diuisibile & indiuisibile formaliter sumpta non opponi nisi priuatiue: rem autem diuisibilem & indiuisibilem proprie nullo modo opponi, sed distingui specie, vel tanquam principium & principiatum. Inter quantitates ergo specie distinctas non est contrarietas: nec vero esse potest inter quantitates eiusdem speciei, quia propria contrarietas supponit distinctionem specificam, vt dictum est.

Statim vero occurrit obiectio, nam augmentatio & diminutio sunt motus contrarii: ergo tendunt ad terminos contrarios: nam contrarietas motuum sumitur ex contrarietate terminorum: sed termini illorum motuum sunt quantitates eiusdem speciei, nimirum corpus maius vel minus: ergo inter quantitates eiusdem speciei est contrarietas. Hanc fere obiectionem posuit Aristotel. c. de Quant. dicens magnum & paruum, quæ ad quantitatem spectant, videri contraria: magnum enim & paruum videntur esse termini augmentationis & diminutionis. Et respondet, magnum & paruum non opponi contrarie sed relatiue: nam idem esse potest magnum & paruum respectu diuersorum. Et in idem fere redit, quod hoc loco ait, magnum scilicet & paruum, maius & minus, longum & breue, & similia, non esse per se quantitates, sed affectiones quantitatis, quæ omnes reducuntur ad tertiam proprietatem statim declar-

I.

II.

Obiectioni satisfactum.

declarandam de æqualitate & inæqualitate: nam omnes prædictæ relationes, sub inæqualitate comprehenduntur.

III.
Sicut in Logica.

2. de Anim.
text. 41.

Sed ad hoc videtur argumentum factum, quia motus contrarii non sunt ad relationes oppositas: ergo augmentatio & diminutio non tendit ad magnam & parvam quantitatem, ut relationes sunt: ergo tendunt ad illas, vel sunt absolute formæ contrariæ. Respondent aliqui, magnum & parvum posse considerari aut præcise, ut ad quantitatem pertinentem abstractendo à substantia, aut prout sunt termini naturales substantiæ, præsertim viventis, cui à natura dati sunt certi termini augmenti aut decrementi: & sub hac secunda ratione magnum & parvum esse terminos contrariorum motuum: & ut sic non pertinere ad quantitatem, sed potius reduci ad substantiam tanquam eius terminos. Sed non placet hæc responsio, tum quia non minus repugnat substantiæ habere contrarium, quam quantitatem: tum etiam quia licet substantia requiratur maiorem vel minorem quantitatem, tamen motio ipsa ad quantitatem tendere censetur: sicut licet substantia sit, quæ postulat locum superiorem & inferiorem, tamen motus sursum & deorsum ad loca ipsa formaliter tendunt. Duo igitur dicenda videntur. Primum ad contrarietatem motuum non semper requiri propriam contrarietatem terminorum, sed sufficere altitudinem seu distantiam, ratione cuius, adiuncto etiam modo tendendi diversorum motuum, quatenus videlicet terminus, à quo unus est terminus ad quem alterius motus & est conuerso, oritur contrarietas in ipso motu: sic enim motus locales contrarii sunt, quatenus in locis ipsis, non sit alia propria contrarietas præter distantiam ac diversitatem. Hoc igitur ipsum dici potest de augmentatione & diminutione.

IV.

Secundo vero magis in particulari dicitur, augmentationem & diminutionem, si attente res consideretur magis opponi privatiue, quàm contrarie. In utroque enim ex his motibus (ut latius in Philosophia traditur) duæ mutationes coniunguntur: una est acquisitio alicuius quantitatis ex una parte, alia est amissio alicuius quantitatis per resolutionem, quæ ex alia parte viventis fit per reactionem contrarii. Et si contingat acquisitionem quantitatis fieri sine illa deperditione vel cum minori, tunc dicitur augmentatio: si vero accadat sola amissio quantitatis, vel cum minori reparatione, dicitur diminutio. Si ergo in utroque motu consideremus acquisitionem alicuius quantitatis, non sunt sibi contrarii, etiam si per unum maior, & per alium minor acquiratur, tum quia hinc potius habetur unum esse viam ad alium, & alterum perfectionem alterius, sicut calefactio intensa & remissa: tum etiam, quia per se loquendo utraque acquisitio sufficeret ad augmentum, si aliunde amissio non coniungeretur. Amissio autem quantitatis non opponitur contrariæ acquisitioni, sed privatiue: sicut corruptio generationi: quia ergo diminutio non opponitur augmentationi, nisi propter adiectam amissionem maioris quantitatis, ideo non est propria ibi contraria oppositio, sed privatiua.

Quantitatem non recipere magis nec minus.

V.

Ratio ob quam non recipiat quantitatem magis & minus.

Secunda proprietas quantitatis ab Aristotele posita est, quod non recipiat magis neque minus, nimirum secundum intensiorem: nam secundum extensionem clarum est, unam quantitatem esse magis extensam quam aliam: intensiue autem accidere non potest. Cuius rei ratio solet assignari ex præcedente proprietate, quia intensio & remissio formæ solet provenire ex admitione contrarii: & ideo cum quantitas non habeat contrarium, neque intendi poterit, nec remitti. Sed ratio non est uniuersalis, nam sæpe qualitas intendi potest, quæ contrarium non

habet, ut patet de lumine, scientia, visione, &c. Ratio ergo reddi potest, vel ex eo, quod quantitas consequitur materiam, ut propria passio eius: & ideo quoad latitudinem intensiueam indissolubilem habet entitatem, sicut ipsa materia: vel ex parte effectus formalis ad quem per se primo ordinatur quæritas, quæ est excellentia partium substantiæ, ad quem effectum imperitens est intensio, imo intelligi non posset quomodo circa talem effectum locum habeat. Quod optime declarant exempla Aristotelis, nam seclusa maiori extensione, non potest intelligi magis aut minus inter duo quanta, ut res pedalis non potest esse magis quanta, quam alia etiam pedalis: sicut unus binarius non potest esse magis vel minus numericus, quam alius binarius.

Quamquam vero quantitas intensiorem vel remissionem non recipiat, quantitas vero continua est capax condensationis vel rarefactionis: quàm mutationem vocat D. Thom. interdum intensiorem, ut patet in 1. 2. q. 52. a. 2. ad 1. & 2. 2. q. 24. a. 5. ad 1. Verum, si ad analogiam & imitationem per proprietatem, sed per Analogiam & imitationem: nam sicut intensio qualitatum fit sine additione vel simplicitate, vel sine additione in noua parte subiecti iuxta varias opiniones, ita rarefactio fit sine additione nouæ quantitatis, præsertim iuxta opinionem D. Thom. de qua postea dicendum est.

Sed inquit, cur Aristoteles non posuit hanc inter proprietates quantitatis, nimirum, quod possit condensari & rarefieri, sicut posuit inter proprietates qualitates, quod possit intèdi & remitti. Respondet primo, Aristot. non numerasse omnes proprietates, ut ex dicendis patebit. Deinde condensari & rarefieri, non conuenire quantitati ratione sui, sed ratione naturalis substantiæ, in qua inest: & ideo non numerari inter peculiare proprietates quantitatis. Nam quod ipsa quantitas proxime sit susceptiua densitatis & raritatis, quæ sunt qualitates quædam, non est alia proprietas ab ea, quæ respectu aliarum qualitatum, vel accidentium corporaliū potest quantitati attribui, nimirum quod sit immediatè subiectum eorum: de quo paulo inferius dicam.

Aliter obijci potest contra hanc & præcedentem proprietatem, nam graue & leue sunt affectiones quantitatis, teste Aristotele hoc libro 5. Metaph. capite 13, sed graue & leue sunt proprie contraria, & intensiorem ac remissionem recipiunt: ergo. Respondetur negando antecedens: nam grauitas & leuitas sunt qualitates quædam: Aristoteles autem in eo loco, ut D. Thomas & omnes exponunt, illud exemplum adhibuit iuxta opinionem, quæ tunc circumferebatur, quod grauitas nil aliud sit, quam multitudo superficieum.

Æqualitas & inæqualitas quomodo sit proprietas quantitatis.

Tertia proprietas ab Aristotele assignata est æqualitas vel inæqualitas, quam dicit quantitati maxime propriam significans esse ita propriam quantitati, ut ratione eius aliz res dicantur æquales vel inæquales. Circa quam proprietatem primo aduertendum est, æquale & inæquale duobus modis accipi posse. Primo secundum proprietatem: secundo per translationem. Primo modo dicuntur æquales duæ lineæ: posteriori modo dicuntur duo homines æquales in sciētia, aut in viribus corporis, imo & duæ diuinæ personæ dicuntur æquales in perfectione. Est enim æqualitas conuenientia quædam: conuenientia autem inter quascumque res eiusdem rationis interuenit per modum eiusdem unitatis, formalis, quæ in substantia solet vocari identitas, in qualitate similitudo, in propria vero quantitate æqualitas propriè sumpta: in aliis vero prædicamentis non habet peculiare

enliare nomen, sed retinet genericum convenientiæ vel unitatis specificæ. Quia vero hæc convenientia aut disconuenientia inter quantitates notior nobis est, ideo translata est illa vox ad significandam quæcunque perfectam convenientiam in perfectione, intentione aut virtute. In presenti ergo Aristoteles loquitur de æqualitate proprie sumpta: ita enim sunt assignatæ proprietates rebus in omni scientia. Quæquam si vniuersè loqui velimus, dicemus omnem æqualitatem consequi quantitatem, sed cum proportionem: nam æqualitas propria sequitur quantitatem proprie sumptam: æqualitas vero Metaphorica non similem quantitatem. Nam & est quantitas molis, quæ est propria quantitas: & est quantitas perfectionis seu virtutis, & ad eam consequitur æqualitas per translationem dictam: in tantum enim hoc nomen admittunt, in quantum per modum quantitatis concipiuntur aut nominantur.

Per quantitatem autem molis non est intelligenda sola corporis magnitudo seu extensio, sed omnis dimensio corporea: nam omnis illa proprie quantitas dicitur, & secundum omnem illam propriissime dicuntur corpora æqualia vel inæqualia. Ac denique in mole corporea omnes illæ dimensiones includuntur. Sub quantitate autem perfectionis intelligimus non solum perfectionem substantiæ, sed etiam qualitatem, siue in eis perfectio essendi, siue virtus agendi consideretur, quæ dici solet quantitas virtutis, tamen sub quantitate perfectionis comprehenditur. Atque hoc posteriori modo dicuntur æquales motus in velocitate: priori autem modo dicuntur æquales in extensione, nam velocitatem habent ex perfectione, extensionem vero ex quantitate. Similiter duo pondera dicuntur æqualia vel inæqualia ratione multitudinis secundum proprietatem: ratione vero intentionis secundum Metaphoram: vt si magnus lapis dicatur æqualis in grauitate tribus aut quatuor minoribus: locutio videtur secundum proprietatem, quia illa æqualitas provenit ex multiplicatione, seu extensione partium, quæ ad quantitatem spectat. At vero cum aqua frigida dicitur in leuitate inæqualis aquæ calidæ: nam per calefactionem aqua leuior fit, sic locutio est Metaphorica, quia illa inæqualitas non provenit ex multitudine vel extensione, sed ex intensio- ne & remissione grauitatis.

Secundum obseruandum est, æqualitatem & inæqualitatem duobus modis sumi: primo pro actuali & reali relatione, secundo pro aptitudine proxima ad talem relationem. Priori modo non oportet, vt ad omnem quantitatem æqualitas & inæqualitas sequatur. Nam si esset in mundo vnum tantum corpus, nulli esset æquale vel inæquale: & si essent duo tantum, illa aut essent solum æqualia, aut solum inæqualia, non tamen simul æqualia & inæqualia: nam hæc non possunt simul conuenire nisi respectu diuersorum. Sumpta ergo æqualitas pro actuali relatione, non necessario conuenit quantitati. Nisi quis velit dicere omnem quantitatem necessario habere partes: ideoque necessario ei conuenire inæqualitatem totius ac partis, & æqualitatem ac inæqualitatem diuersarum partium inter se. Quomodo aliqui putant tempus cum sit vnum tantum, non habere aliud æquale, vel inæquale: in hoc vero totali tempore esse plura partialia, & inæqualia, vel æqualia: sic enim dies est æqualis diei, & inæqualis horæ. Quod est probabiliter consideratum: quanquam de huiusmodi æqualitate vel inæqualitate partium eiusdem continui, vel totius ad partes, an debeat censeræ æqualitas realis, seu per relationem realem, vel rationis tantum quæ sit inferius tractanda. Et in tempore non solum potest æqualitas, vel inæqualitas illo modo considerari, sed etiam respectu aliarum durationum, quæ in aliis motibus præter celestem inueniuntur. Posteriori igitur modo, id est, secundum aptitudinem proprie ac per se conuenit quantitati æqualitatis vel inæquali-

Tom. II. Metaphys.

tatis ratio: nam quantum est de se, omnis quantitas apta est esse vni æqualis, & alteri inæqualis.

Vnde obiter intelligitur, hanc proprietatem in re nihil addere ipsi quantitati, neque esse modum aliquem ex natura rei ab ipsa distinctum: nam quantitas per se ipsam, ex eo præcise quod talem extensionem habet secluso omni alio modo vel addito reali, apta est alteri esse æqualis vel inæqualis: solum ergo distinguitur ratione hæc proprietas, in quantum hæc æqualitas concipitur per modum cuiusdam aptitudinis ad talem relationem.

Vltimo est obseruandum non solum denominari proprie æquales & inæquales quantitates ipsas, sed etiam res quæ per quantitates extenduntur, & quantitates efficiuntur, vt de ponderibus supra dicebamus, quantum ad extensionem vel multitudinem: & idem est de temporibus vel de motibus, & de substantiis, figuris, & aliis huiusmodi. Veruntamen sicut hæc non sunt per se quanta, sed per quantitatem, ita ratione quantitatis denominationem æqualis vel inæqualis accipiunt. Atque ita fit, vt hæc proprietates, quantenus per se, & ratione sui conuenire alicui potest, merito quantitati tribuatur. Solum video obici posse de æqualitate quantitatis discretæ: illa enim est propria æqualitas, vel inæqualitas: & non semper conuenit ratione quantitatis, molis seu extensionis: nam duo senarii angelorum tam proprie æquales sunt, sicut duo senarii lapidum. Sed ad hoc iam supra diximus, licet multitudo immaterialium rerum non sit proprie quantitas: tamen quantum ad modum unitatis in ordine ad apprehensionem vel numerationem rationis omnino imitari quantitatem discretam. Ac proinde mirum non est, quod secundum eam rationem participet etiam denominationem æqualis vel inæqualis. Existimât autem multi, hanc ipsam denominationem quantitati discretæ attributam, non posse ex propria relatione reali, aut ex eius fundamentum sumi, tum quia non potest talis relatio esse in toto numero, neque in vna sola unitate, neque in singulis: tum etiam, quia unitas, quam supponit æqualitas, non est tam propria & realis in quantitate discretæ, quam in continuo, vt supra visum est: sed de hac re inferius videbimus.

Aliæ proprietates explicantur, præsertim esse finitam, vel infinitam.

PRÆter has proprietates tribuuntur aliæ quantitati, nimirum esse diuisibilem vel infinitum respectu quantitatis continuæ, vel in unitates respectu discretæ. Quam proprietatem disputatione præcedente satis explicuimus declarando definitionem quanti, & rationem formalem quantitatis, cum qua immediate est coniuncta hæc proprietas diuisibilitatis: & ideo ferè non solet ab ea distingui, sed per eam declarari, vt ibidem diximus. Rursus assignatur vt proprietas quantitatis, vt rationem mensuræ habere vel non habere possit. De qua satis supra diximus Sect. secundâ. Præterea attribuitur quantitati esse finitam vel infinitam, ex Aristoteli. phys. capite secundo, text. 15. & 3. phys. capite quarto, text. 24. Quæ proprietas difficultatem habet ratione posterioris membri, nam potius infinitas censetur repugnare quantitati: non ergo finitum vel infinitum, sed finitum tantum secundum extensionem erit proprietas quantitatis. Quod potest confirmari ex Aristoteli. 5. Met. capite decimo tertio, dicente, de ratione numeri esse quod sit multitudo finita, vt numerari possit: & de ratione magnitudinis quod possit sub mensuram cadere: quod est esse finitum. Vnde Diuus Thomas ibi lect. 15. ait, quod si esset multitudo infinita, non esset numerus: & longitudo infinita, non esset linea. Et prima pars quæstionis septimæ, articulo tertio, dicit, de ratione quanti continui esse habere

Kk

aliquam

XII.

Æqualitas
Inæqualitas
addit
quantitas

XII.

XIV.

aliquam figuram, & consequenter esse finitum, quia figura est quæ termino vel terminis clauditur: cum ergo esse finitum perfecte consequatur ad omnem quantitatem, immerito videtur illa proprietas sub dicta disunctione assignari.

XV. Duobus ergo modis potest illud membrum intelligi, scilicet de infinito in potentia, vel de infinito in actu. Priori modo intellexit hanc proprietatem Scot. 2. Met. qu. 9. & sic cessant obiectiones. In eo autem sensu non deberet illa proprietas sub disunctione assignari, sed copulativè, nam esse actu finitum & potentia infinitum simul conveniunt quantitati. Responderi autem potest, illam particulam sub disunctione esse positam, aut ad indicandum, illa membrum non in eodem, sed in diversis sensibus sumi: aut certe ita positam esse propter quantitatem discretam, quæ tantum finita est, & non infinita, etiam in potentia, quia illa non est divisibilis in infinitum, sicut est quantitas continua. Quamquam in alio sensu possit ita sumi infinitum in potentia, ut tam quantitati discreta, quam continuæ conveniat. Dicit enim potest quantitas infinita in potentia: quia ex se nullum certum terminum sibi præfigit aut determinat, quod manifeste convenit cuilibet quantitati continuæ, & ideo dici potest, vel finita, quia actu semper habet aliquem terminum, vel infinita negativè, seu potestate: quia ei non repugnat quemcunque definitum terminum transcendere. Numerus autem quamvis si sumatur in quacunque determinata specie, ita sit finitus ut augeri non possit, quin mutetur species: tam absolute sumptus semper potest augeri sine termino intra latitudinem quantitatis discretæ. Et in hoc sensu etiam illi potest attribui aliquo modo infinitas in potentia.

XVI. At vero, si illud membrum intelligatur de infinito in actu: & supponamus ut veram sententiam, quæ negat tale infinitum esse possibile: negandum consequenter est tale membrum pertinere ad veram proprietatem quantitatis: quod indicavit Scotus loco citato, & sentit etiam Caletan. 1. p. q. 7. a. 3. circa solut. ad 2. Quod vero ad Aristotelem attinet, in priori loco non intendit sensum absolutum, nimirum quod infinitum in actu possit aliquo modo quantitati convenire: sed sub conditione seu ex hypothesi loquitur, si infinitum est, illud ad quantitatem debere spectare. Nam infiniti (inquit) ratio quantitate videtur. Et hoc verissimum est: iuxta quam interpretationem, dicere etiam possumus, quia non est certum, quantitatem non posse esse infinitam, ideo sub disunctione proprietatem illam assignari, & intelligi quantum ad illud membrum de infinito, per non repugnantiam ex vi quantitatis, ut sic, ut significavit D. Tho. in dict. solut. ad 2. dicens, infinitum non esse contra rationem magnitudinis in communi. In alio vero loco 3. Phys. Arist. agit simul de magnitudine, motu, & tempore, Quorum unumquodque, ait, aut infinitum, aut finitum esse necesse est. Iuxta illius autem sententiam non repugnat dari infinitum in actu saltem in motu & tempore: & ideo vel ob eam causam potuit ea disunctione uti. Absolute tamen loquendo, & iuxta veram sententiam, omne quantum, etiam motus & tempus, finitum est.

XVII. Denique ad has proprietates addi possunt alie, quæ non conveniunt quantitati ut sic, sed aut continuæ aut discretæ. ut figura numerari potest inter proprietates quantitatis continuæ, quamvis hæc in proprio predicamento collocetur, quia includit specialem rationem accidentis. Item tribuitur quantitati continuæ quod partes eius habeant positionem in toto, cuius oppositum tribuitur quantitati discretæ. Cui etiam assignatur ut proprietas quod sit par, vel impar: quæ omnia clara sunt ex superioribus, nec nova indigent interpretatione.

(.)

DISPUTATIO XLII.

De qualitate, & speciebus eius in communi.



Vamuis Aristoteles in Dialectica in ordine predicamentorum prius de Ad aliquid, quam de qualitate differuerit, fortasse quia predicamentum Ad aliquid quodammodo generalius est: nam omnibus aliis entibus aliquo modo accedit in 5. tamen Met. ordinem commutavit: prius de qualitate, & postea de relatione disputans, qui ordo est magis consentaneus perfectioni rerum, nam qualitas relatione longe in perfectione superat. Atque eodem loco, c. 14. huius vocis, Qualitas, plures significationes recenset, scilicet idem Aristoteles, inter quas (ut ibidem dicit) duas sunt precipue, una est, quæ solet differre essentialis qualitas appellari: quo modo dixit Porphyrius differentiam prædicari in quale, & Aristoteles ex modo interrogandi, & respondendi id declarat, nam interroganti quale animal sit homo, responderi solet, esse rationale.

Alia huius vocis significatio est, quæ significat accidentalem rei affectionem. Et secundum has duas significationes dubium non est, quin hæc vox Analogæ sit. Et quamquam quoad rem significatam essentialis differentia præcipua sit, tamen nomen qualitatis per prius videtur impositum ad significandum accidentalem affectionem & determinationem: & deinde per proportionalitatem translatus ad significandam differentiam, quatenus est forma generis, & extra rationem eius: non enim dicitur differentia qualitas speciei quam constituit, sed generis quod contrahit: ideo Aristoteles non ait ad interrogationem qualis sit homo, responderi per differentiam hominis, sed ad interrogationem quale animal sit homo: quia respectu generis se habet ut qualitas.

Vnde etiam solet hæc vox usurpari ad significandam formam substantialem, non solum apud Platonem in Timæo, sed etiam apud Aristot. 4. Metaph. capite quinto, ubi materiam primam quantitatem, formam vero qualitatem appellat: quatenus materiam afficit & determinat. Quin etiam in Prædicam. cap. de substant. & 7. Metaph. cap. 3. secundam substantiam qualitatem appellare videtur respectu primæ, quatenus ait, secundam substantiam quale quid significare, nimirum, quia secunda substantia aliquo modo comparatur ad primam per modum formæ.

Omissis vero his omnibus Analogicis significationibus, hic tantum est sermo de qualitate accidentali. Est autem ulterius considerandum interdum omne accidens vocari qualitatem eius rei cui accidit: quo modo Porphy. in c. de Gener. dicit, accidentia omnia prædicari in quale quid, id est, in quoddam quale: ita enim exponenda est illa particula quid in ea generalitate sumpta. Tamen hæc etiam significatio est valde Analogæ, quatenus omne accidens est quoddam affectio, modus ac determinatio sui subiecti, & extra rationem eius. Tamen cetera accidentia aliorum predicamentorum habent peculiare modos afficiendi substantiam, & iuxta eos propriis nominibus appellantur: nomen vero qualitatis in significatione propriissima usurpatum est ad significandum quoddam genus accidentium habens determinatum modum afficiendi substantiam alterius rationis à ceteris generibus accidentium: & de Qualitate hoc modo supra instituitur præfens disputatio. De qua primum in genere inquirendum est quid sit, & quas species vel proprietates habeat. Deinde vero in particulari de nonnullis speciebus vel proprietatibus, quæ maiorem difficultatem continent, & Metaphysicam abstractionem proprie participant, differendum est.

SE.